DE

# DISCRIMINE CHOREAE ST. VITI A MOTU CONVULSIVO MUSCULARI.

---

## DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD SUMMOS

**IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES**

RITE ASSEQUENDOS

SCRIPSIT

ATQUE UNA CUM THESIBUS

DIE XII. MENS. AUGUSTI A. MDCCCXLVIII.

PUBLICE DEFENDET

**IACOBUS HUBERT**

RHENANUS.

---

OPPONENTIBUS:

GUIL. HAHN, MED. ET CHIR. Dr.

ALB. WEBER, MED ET. CHIR. CAND.

FRID. HAASS, IUR. CAND.

---

**BONNAE.**

TYPIS CAROLI & FRIDERICI KRÜGER.

MDCCCXLVIII.

## §. I.

### De convulsionibus.

Spasmus intelligitur nervorum vel singulorum vel complurium motus abnormiter adauctus, quo contractiones efficiuntur irritae atque involuntariae organorum, in quae nervi affecti sese diffundunt. Spasmorum autem distinguuntur genera duo: tonici et clonici; quorum priores sunt musculorum contractiones continuae, posteriores alternant inter contractiones ac relaxationes, raptim se excipientes. Sed quum alteri in alteros transire possint, discrimen illud non est tanti momenti. Organum spasmo affectum functione impeditur, quamdiu tenet convulsio: Musculus spasmo contractus moveri ad arbitrium nequit; in spasmo cordis cor pulsat irregulariter, per asthma suspenditur libera respiratio; in organibus secernentibus desinit secretio aut non nisi serum secernitur limpidum. Convulsionibus vehementibus lateque extensis vel excitatione longiore centrum etiam nervorum spinale postremo incipit laborare, unde spasmus oritur universalis nervorum vaso-motoriorum, qui minuta corporis temperatura et horrore, pallore cutis, pulsu parvo et contracto, lotio aquoso ac frigido sudore apparet.

Excitatur spasmus aut irritatione ipsorum laborantium nervorum motoriorum vel cerebri, medullae spinalis nervique sympathici, aut reflexu in apparatum motorium irritatio agit nervorum periphericorum. Electrica irritatio directo in nervum ducta excitat spasmum organorum, in quae ipse ille nervus diffunditur. Etiam morbi et irritationes anomalae medullae spinalis, cerebri ac praesertim medullae oblongatae irritationes excitant motorias. Neque raro spasmi existunt ex reflexu, irritatione tractus intestinorum atque helminthiasi.

Finito ipso paroxysmo non tota sequitur remissio, sed musculi affecti sentiuntur stricti, usque dum collecta irritabilitate nervorum iterum incipiant spasmi.

Propensi imprimis ad spasmos sunt infantes, mediae aetatis homines quique sunt in evolutione, mulieres hystericae, hypochondriaci nec non, quorum systema nervorum continuo irritatur dolore, aerumna, cupiditatibus; inter causas remotiores irritationes sunt corporum alienorum, vulnera, distractiones, irritatio a sanguine hyperaemia, centrorum motoriorum, fluxus sanguinis, dolor, algia. Gignuntur praeterea viribus debilitantibus, sicuti succo amisso, onania et toxicis atque nervorum vel centrorum corruptela.

§. II.

### Animi ac voluntatis inter spasmos habitus.

Aegrotus vehementi in animi motibus utitur sensibilitate affectionesque nulla externa causa mutat, nunc extremam prodens hilaritatem canendo, ridendo, clamitando, nunc summam tristitiam, saepe etiam multis cum lacrymis coniunctam. Res quidem levissimae maximam ei iracundiam movent adeoque eum reddunt sui impo-

tem, ut contra semet ipsum insaniat et furat. Est timidissimus, strepitu cohorrescens minimo magnumque ostendens timorem periculorum opinabilium. Somno utitur inquieto, prosiliens saepe terrore et somniis valde angentibus vexatus. Perturbantur cogitationes, voluntas sensibus alienatis et inspiratis ac cupiendi facultas sunt vitiosae; quae vividissime ei observantur per phantasiam, opinatur vera; suamque ipsius conditionem (subiectivam, ut dicunt) non potest dignoscere a rebus externis. Gignuntur ita delirium, odium, etiam furor in homines alioquin dilectos, non satis cognoscit ea, in quibus quotidie versatur, cum gigantibus spectrisque se pugnare opinatur. Neque raro mirifice excitantur mentis vires ac facultates, quum ceterae torpeant atque contra naturam etiam reprimantur. Sic in paroxysmis ita interdum acuitur memoria, ut carmina magna totasque orationes summa facilitate recitent, vel phantasiae et combinatoriae vires adeo exaltatae sunt, ut ingeniosissimis cogitatis, conclusionibus ratissimis cuivis iniiciant admirationem, quum interea vis cogitandi soleat esse extincta voluntasque sublata. Quamobrem insolitae illae res nullo morbosi consilio se moveri declarant neque finito paroxysmo ullum in mente et memoria sui vestigium relinquunt. Nec minus singularis est permutatio crebra ac plena facultatum animi: homines timidi inter spasmos fiunt interdum audaces et insolentes, pii incipiunt increpare, improbi orare; pudici sermones ferunt impudicos, sese denudant. Diversa postremo exinde insaniae genera exoriuntur.

## §. III.
### Descriptio choreae.

Nomen morbo inditum ex eo, quod aegrotantes temporibus prioribus ad sacellum Scti Viti ut sanarentur migrare solebant. Saeculis XIV. et XV. indoles morbi erat epidemica; hodie in singulis solummodo hominibus exoritur.

Rarius occurrit, ut Chorea nullis sanitatis perturbatae symptomatibus praegressis subito exoriatur, sed plerumque prodromi quidam praecurrunt, qui aut brevius aut diutius durare solent. Fere semper aut systema nervorum aut digestivum aut utrumque peceat. Haec sunt symptomata, quae vexant aegrotum: Vertigo, capitis gravitas, hyperaesthesis partialis aut universalis, timiditas, tristitia, cordis palpitatio, tremor animus valde mutabilis, hilaritas nimia, quam lacrymae mox sequuntur, haluncinationes, spasmi, membrorum claudicatio, oscitatio, nictitatio frequens, nausea, vomitus, taedium cardialgia, alvus aut tarda aut soluta aut nimis foetida. Saepius etiam pulsus debilis, urina spastica.

Sensim haec symptomata modo crescunt, modo diminuuntur, modo alia evanescunt, alia nascuntur, quoad ipse oriatur morbus.

Motus exinde orientes spasmici quum omnes musculos voluntarios, tum maxime artuum corripiunt, unde variae diversaeque fiunt distortiones et depravationes, quae aegri voluntate nec retineri nec moderari possunt. Pervertuntur musculi faciei, ut affectus praebeat vultum ridentis, oculi in cavis rigent vel torquentur, ipsa pars

capitis pilosa saepe movetur, caput nunc retro, nunc prorsum, nunc oblique iactatur, os mox convulsive praecluditur, mox late patet, spasmi organorum respirantium ac deglutientium raro absunt: plana etiam potest esse deglutiendi impeditio. Respiratio valde anxia et molesta, vox mutata. Aegroti clamant, mugiunt, voces animalium imitantur; sui nescii et involuntarii incipiunt declamare, orationes dicere, cantare; brachia plerumque continue movent eaque imitantur, quae per vitam tractare solent; in eandem incudunt partem, dilacerant vel scindunt vestes, quin eos impedire queas.

Singulares maximi et peculiares spasmi sunt artuum inferiorum; motibus feruntur irregularibus, abruptis, rapidissime sese excipientibus, ut aegtotantes exsilire, immo etiam saltare videantur; currunt interdum eadem continue via usque ad fixum locum, interdum invincibilem voluntatem manifestant, exsiliendi in locum altiorem, vel desiliendi in inferiorem, qua in re singularem industriam, facilitatem et velocitatem exhibent. Spasmis per totum corpus dispersis in omnes regiones agitantur vel omnino rigescunt. Spinam dorsalem videri licebat adeo curvatam, ut pars capitis posterior calces attingeret, etiam distortiones acerrimo motu existunt. Neque raro omnia membra languescunt, ut pars nulla in apta positione retineri possit.

Aegri propensi saepe animadvertuntur ad sese recondendum in parva receptacula, foramina, cistas corporum vix capaces. Morbo vi quadam incidente, insolitae in accessione vires musculorum apparent, ut viri etiam robustissimi motus musculorum comprimere non possint. Si vero comprimuntur, tremor remanet et aegri in magna versantur inquietudine animique anxietate;

pressum denuntiant in regione stomachi, quae signa, reddita spasmis motione libera, statim desinunt. Sentiuntur saepe convulsiones uno tantum latere, praesertim sinistro, vel transeunt ex sinistro in dexterum, vel etiam generales fiunt.

Psyche spasmis solet turbari, plerumque convulsionibus aliquamdiu continuatis; aegroti corripiuntur in extasin, peculiarem exhibent laetitiam, delectari videntur motibus comicis et artificialibus ac videntium admiratione gaudere. Tum ipsa voluntas videtur motus illos vehementes et spasticos excitare. Nonnulli quasi ἐνθουσιαϱικως loquuntur, tantamque nanciscuntur claritatem mentis et perspicacitatem, ut accuratissime accessiouum instantium cursum, tenorem et initium, paroxysmi praesentis finem ipsumque plenae convalescentiae tempus indicent. Conscientia, nisi plane extincta, turbata certe esse solet; sensibilitas in affectibus sensuum exterioribus valde minuitur vel prorsus suspenditur; palpebrae aut convulsive clausae aut extenso pupillo, quem vel summa irritatio luminis non possit centrahere, late patescunt. Alius sensus plane debilitatus, alius convulsive exaltatus. Nonnisi raro aegrotus conscientiam sui retinet ac tum involuntarius fit abscessus alvi et urinae. Accessio si attingit finem, convulsiones leniuntur, voluntati obtemperant, denique aegrotus redit in tranquilitatem ac quietem; lassitatem et gravitatem sentit membrorum ac somno consopitur.

Redeunt spasmi intervallis minime certis, mox crebrius mox rarius, quanquam raro noctu. Rebus saepe levissimis excitantur, interdum typum retinent proprium et certum fixisque temporibus redeunt.

Inter spasmos aegroti singulariter sensibiles in tactu

rerum frigidarum, maxime ferri; accessiones, cum huc illuc stringas, augentur vel miuuuntur, nec raro prorsus finiuntur.

## §. IV.

## Involuntarii musculorum motus quomodo se ostendere videantur.

Prodromi involuntarios musculorum motus aliquamdiu praegrediebantur morboque exorto magis minusve manebant. Prodromi erant hi: variae digestionis perturbationes, nulla ciborum appetentia, nausea coniuncta cum alvo adstricta, dolor capitis, vertigo, perturbatio animi. Hilaritas infantibus solita alteri deerat, in altero haec symptomata non observantur. Involuntarii motus leniter incipiebant in extremitatibus superioribus, transibant in musculos capitis, oris ac colli, denique inferiores quoque extremitates attingebant. In altero pars sinistra gravius affecta erat, quam dextra; in altero sola sinistra. Contractiones redeunt intervallis incertis; altera pars capitis angulusque oris sinister sursum, caput in latus dextrum rapitur, cutis frontis contrahitur; humerus per intervalla sursum vibratur, brachium leviter nunc flectitur, nunc extenditur, digitis eundem motum sequentibus. Extremitates inferiores eodem motu corripiuntur, quo brachia, in quiete, neque tamen in motione. Alter si animum intendebat in brachia, quieta erant, inferiores autem extremitates movebantur. Ceterum motus non valde impeditus. Aegrotus, si iubetur, manum tendere potest, quin motus inde involuntarii non oriantur. His omnibus motibus nullum aegri dolorem sentiunt; alter puerorum sentiebat duobus spinae locis, quum

spongia calida tangerentur. Alter sexta pectoris vertebra sed dolorem sentire indicabat, qui pressu non augebatur. Magna in altero observabatur oculorum sensibilitas erga lucem. Animi pertnrbationibus convulsiones non crescebant. Spasmi interdum etiam organorum deglutiendi existunt, sensu quodam constringente gulae sese prodentes; lingua interdum corripitur, ut sit oquendi impeditio aegrotusque vel haesitet vel omnino loqui non possit. Animus male afficitur, quo fit, ut aeger solitudines captet hominesque quodammodo timeat, ut summa sit sensibilitas, summum gaudium ex levissima causa. Nunquam inter convulsiones oblivium incidit. Somnus nunc tranquillus, nunc somniis interruptus; involuntarii musculorum motus in dormiente desineunt, in experrecto redeunt. Arteriarum cordisque pulsus tempore spasmis vacuo immutatus; aegrotus arguitangorem pectoris cordis palpitationes, sed nonnisi tenentibus convulsionibus. Quae si diu manserunt, cachectica instat conditio, quae lurido cutis colore agnoscitur.

§. V.

Guilelmus Lindenberg, annorum XVII, natus in Honerath.

Mater, annorum XLIV, corpore debili, juvenis laborabat febri intermittente, tempore posteriori diarrhoea, qua interdum sanguis effluxit, semperque partus enitebatur difficillime. Pater, annorum LIII, corpore robusto, bona semper valetudine fruebatur, nisi quod ter scabie laborabat.

Fratres aegroti, qui numero sunt septem, omnes bo-

nae valetudinis, exceptis sorore natu maxima, quae diu scrophulosi et secunda, quae capite saepe laborabat.

Aegrotus ipse corpore est satis valido, crinibus nigris, salubribus dentibus, colore flavo, cachectico, pectore et capite bene constitutis, nullis curvationibus spinae. Infra sex annos infans omnino erat salvus, quanquam interdum vermibus laborans. Anno aetatis VI. scabies incidit, quae cum sex menses tenuisset, unguento sulfurico medicabatur. Ex anno VI. ad XIV. scholam frequentabat, nullo unquam morbo implicitus; neque vero indole erat alacri et laeta, sed reconditiore et tristiore, quam illius aetatis pueri esse solent. Quod manustupratione videtur evenisse crebra, quam nuper etiam exercere solebat. Non raro alvo erat adstricta. Abhinc sex annos graves ei incidunt capitis dolores, praesertim in regione frontis, cordisque palpitatio.

Morbus, quo nunc iacet, incepit mensi Augusto anni superioris hoc modo, ut aegrotus nonnunquam manu caput vel dorsum involuntarie tangeret; augebatur malum ex die in diem, existebat in musculis cervicis et faciei, in membris superioribus et inferioribus. Involuntarie nonnunquam exsiliebat vel prorsus fixe restitit, procedere nequiens, ut voluntas videretur plane extincta; per dimidias horas uno saepe pede nitebatur sine ulla motione. Qua ex positione si propellendo emoveretur, moleste ferebat. Media nonnunquam reticebat sententia et, dimidia hora interiecta, eodem, quo reticuerat, loco loqui pergebat; neque tamen per illud intervallum conscientiam amittebat, sed probe sciebat, quaecunque circa ipsum facta erant. Musculi faciei pervertebantur, caput oblique trahebatur, nullis doloribus existentibus. Animi affectibus accessiones minui, mutata temperie crescere arbi-

trabatur. Nuper in peni cum rubedine dolores oriebantur, sed auxilio medicinali mox desierunt.

Conditio praesens. Cum reciperetur in clinicum Bonnense distentiones praecipue animadvertebantur oris, musculorum cervicis et bracchiorum, non adeo artuum inferiorum; brachia et pedes ex arbitrio movere potest. Haeret in loquendo, immo tota pronuntiandi ratio difficilior et impeditior. Lucem fulgentem oculi non sine plurimo dolore ferunt, in accessionibus satis intensivo lacrymasque eliciente. Dolorem etiam capitis sentit in regione frontis, maxime si adest accessio, VI. vertebra thoracis, quanquam nec crescens pressu nec varians, et angor pectoris, etsi morbosi aliquid in ipso reperiri non possit. Gressus nonnunquam subito comprimitur, ut procedere nequeat, quod rarius in ipso gressu accidit, saepius quum, gressu suspenso, pergere velit.

Curatio. Quamdiu in clinico Bonnensi commemorabatur aegrotus, ferrum hydricum adhibitum est, et initio quidem non frustra; mox autem malum constitit, immo auctum est. Itaque non sanatus aeger clinicum reliquit. —

Ioachim Rademaher, Bonnensis, annor. XVI, sutor.

Pater, superioribus annis bonae semper valetudinis, ex brevi tempore doloribus intestini vexatur vermesque exeunt. Auditum lapsu quodam prorsus amisit.

Mater, debilior corpore, saepe capitis dolore laborat. — Sorores duae aegroti omnino valent fraterque iam ante hac spasmis decessit.

Aegrotans puer rubeolis affectus erat multumque scrophulosi laborabat. Ex anno septimo ad decimum tertium, quo tempore scholam frequentabat, semper salvus erat, nisi quod inflammatione oculorum et nonnunquam dolore capitis vexabatur. Malum, quo nunc iacet,

duobus mensibus abhinc extitit; faciei musculi interdum convellebantur, sine dolore salvisque musculis colli, necnon digiti omnes vel unus, quum tamen totum bracchium quiesceret, dolores autem sentirentur in musculo deltoideo. Sed plenissimae et vehementissimae convulsiones erant in sinistro crure inferiore, quod nunc antrorsum, mox huc mox illuc trahebatur; quodsi aegrotus crus inferius retinere vellet, vehementioribus motibus corripiebatur. Spinam dorsalem si spongia aqua imbuta sequereres, vertebra septima dolor movebatur. —

Hoc stadio aegrotus in Clinicum Bonnense intravit, ubi, acido hydrocyanico per dies quatuordecim recepto, valde malum minuebatur; namque diu iam crus inferius potest sustineri, digiti rarissime moventur convulsive orisque musculi nullum fere mali vestigium retinent. —

## §. VI.

### Quatenus chorea Sti Viti hic non fuerit.

Prodromorum ratione non habita, qui, cum multum cum prodromis choreae Sti Viti congruunt, tum raro quidquam faciunt in diagnosin, quia diversissimi saepe morbi conveniunt prodromis: si accuratius inspiciamus, in utroque casu magna symptomatum discrimina reperiemus.

Spasmi in altero casu non impediebant, quominus aegrotus ex. gr. manum, si iuberetur, in rem aliquam porrigeret remque caperet. Paroxysmi non erant, sed spasmi redibant intervallis longioribus vel brevioribus, neque tamen periodice. Convulsiones nec fatigationem nec lassitudinem efficiunt membrorum cum somno, sicut in chorea fieri solet. Chorea brachia magis, quam pedes

laborant; involuntario musculorum motu pedes eodem fere modo, immo magis etiam affectierant. Voluntas in chorea aliquam semper in motus vim exercet; in motibus musculorum nullam.

Spasmi choreae, qui in dormiente acquiescunt, somniis autem intervenientibus resuscitantur, eo ab his differunt, quod hi ne somniis quidem excitantur. Chorea praesertim cadit insexum femininum, rarius in masculinum; saepissime terrore nascitur, terror in excitandis spasmis minus valet. Animus his casibus neque in spasmis neque in intervallis liberis tam alienatus videbatur, quam in chorea Sti Viti; immo his casibus ne minor quidem exaltatio cernebatur, quum in chorea maior appareat. Singularis illa exsiliendi et ascendendi facilitas paroxysmo pro dita, inter spasmos prorsus ab erat, motus potius impediti et difficilus videbantur. Conscientia his casibus non sublata, sensus non acutus erat, quum in chorea alius sensus acuatur, alius recedat. Nec involuntariae erant alvi nec urinae.

## §. VII.

### Errores Cannstattii.

Inquies musculorum (Muskelunruhe) et tarantismus, quos morbos Canstatt sub titulo: De chorea refert, si accuratius inspiciamus, tantopere a chorea sua ipsa natura discrepant, ut non possimus, quin proprios ea et peculiares morbos iudicemus. Inquies musculorum hoc a chorea differt, quod est continua, quod musculi affecti nullum temporis momentum in quiete sunt; chorea autem manifestatur paroxysmis qui longiore vel breveriori tempore redeunt, diutius vel brevius manent. Praeterea

inquies musculorum post coenas solet esse maior, quod non est itidem in chorea. Perpetua illa motione musculorum fessos aegroti se non sentiunt; choreae accessionem plenissima sequitur lassitudo et debilitat et ex fatigatione somnus. Convulsiones possunt esse in musculis omnibus, quum in chorea praecipue peccent extremitates. Inceptum motum voluntarium in inquiete musculorum transire in involuntarium. error est; sed id ipsum essentiale signum choreae. In inquiete musculorum omnes motus sunt impeditiores; in chorea magna reperitur facilitas, in ipsis salvis insolita, chorea aegrotans facillime in alta enititur, mirissimum in modum exsultat, spasmis laborat organorum respirantium et deglutientium, ut sit difficultas loquendi, ut deglutiendi impeditione cibi sumpti vomantur.

Sensus inquiete musculorum nunquam sublatus, quamvis magna possit esse exaltatio; chorea saepe omnino extinctus, ut aegroti, quae circa sint, minime agnoscant, alvique et urinae deiectio sit involuntaria. In quo oblivio tanta saepe est aegrotantis claritas mentis, ut finem accessionis praesentis, finem morbi praedicat, ut indicet, quot ante sanationem accessiones instarent. Remissa accessione, quae facta sint, ignorant ac plerumque se dormiisse opinantur. —

---

Tarantismus, quem item Canstatt speciem choreae iudicat, pauciora etiam, quae cum chorea congruant, exhibet, quam inquies musculorum. Prodromi, inquietem musculorum et choream longius praecedentes quanquam non plane desint, initium tamen morbi nonnullis tantum

horis praecurrunt; post morsum enim tarantulae, quae est genus aranearum in Italia superiore, φαλλαγγιον ab Aristotele nominatum, continue surgunt convulsiones. Qui morbus, si ad choream referretur, alia etiam veneficia, quae spasmi sub sequuntur, ad choream essent referenda, quod ad hoc usque tempus nusquam et a nemine factum est. —

Choreae cum Tarantismo nihil est commune, nisi convulsiones, Paroxysmi et oblivium; sed multa intercedunt discrimina. Id quod choreae naturale est, inceptos musculorum motus voluntarios transire in involuntarios, in Tarantismo non comparet. Torpor et melancholia, quae in tarantismo mox aderunt, si non citum fuerit remedium, in affectis chorea semper post longius demum tempus cernuntur. Cantus fidesque, quae in tarantula aegrotantibus saltandi furorem movet, in chorea possunt prodesse neque unquam accessionis causa est. Tarantismi sanatio citissima; aegroti, ubi saltando quam maxime fessi prociderunt, somno merguntur cum magno sudore coniuncto et experrecti plane se convaluisse sentiunt, quum chorea rarissime vel fere nunquam finiatur accessione. Tarantismus cadit in quodque genus et aetatem; Salvator di Renzi affectum ea narrat infantem trimestrem, Epiphanius Ferdinandus senem annorum nonaginta quatuor. Etiam animalia tarantula morsa, tarantulismo correpta esse dicuntur. Chorea autem praecipue afficiuntur mulieres, homines mediae aetatis vel ante ipsam evolutionem, rarius infantes primae aetatis hominesque seniores. Vis metallorum in tangendis chorea aegrotantibus, qua accessiones aut leniuntur aut, quod rarius fieri solet, gravescunt, in tarantulismo non observatur. —

## §. VIII.

## Discrimina chorea et motuum convulsivorum muscularium, petita et affectione medullae spinalis vel encephali.

Sectiones huc spectantes paucae modo ab auctoribus nobis traditae sunt. Rarius autem occasio datur chorea laborantes morte abreptos dissecandi. Quae autem adsunt, paucis his verbis commemorabo. Saepe nihil abnorme praebuit sectio instituta. Serresius sectiones quatuor, quae corpora quadrigemina morbo affecta ostenderunt, promulgavit. In primo eorum mortuorum chorea complicata erat cum epilepsia, quae quoque mortem adduxerat. Induratione scirrhosa corpora quadrigemina circumdata et crura cerebelli ad pontem mollita erant. In mortuo secundo et tertio exsudatio cruenta causa mortalis extiterat. Sanguinis profluvium et corpora quadrigemina conspectui se praebuit. Aeger postremus vacuus erat omni complicatione. Inflammatio corporum quadrigeminorum est inventa. Bergeonius profert, hominem choreae paroxysmo interemtum, qui sectione facta medullam oblongatam induratam ostendit, neque corpora quadrigemina neque partes iis vicinae erant degeneratione aliqua correptae. Andralius dissecuit puerum chorea correptum et invenit tubercula et in cerebro et in cerebella sita. Dugésius in infantibus duobus infectis nihil abnorme neque in cerebro neque in medulla neque in nervis vidit. Oliverius quoque nullam observavit degenerationem. Rufzius Cherardius, Hacherus et Rostanius mentionem faciunt nonnullorum casuum, qui

sectione facta nihil abnorme conspectui praebuere. Monadius refert de duobus chorea laborantibus et deinde defunctis dissectisque, qui cerebri et medullae hypertrophiam eiusque vasa sanguine valde impletae conspectui dederunt. Prichardius tribus in casibus magnam seri copiam intra medullae membranas effusam notat. Roeserius magnam seri copiam in ventriculos simulque cerebrum emollitum observavit. Brownius invenit in substantia medullari hemisphaerii sinistri conscrescentias calcariae non dissimiles simulque vasa superficialia totius cerebri sanguine valde impleta. Willanus et Coxius serum in ventriculos cerebri effusum notant. Has sectiosen si colligimus et componimus id concludi potest, ut ex anatomia pathologica modo neutiquam firmari possit, quae morbi sit sedes et natura. Sed potius choream partim cum abnormitate ulla anatomica, partim sine ea existere posse.

Convulsivo motu musculari affectorum quum nulli adhuc dissecti sint, pathologica anatomia pauciora etiam in explicando hoc morbo nobis praebere potest, quam in chorea. Aliunde ergo exquirere et perscrutari debemus, utrum morborum naturam sedemque peculiarem satis distinguere possimus necne.

Et choream Sti Viti si consideremus, qualis ante oculos esse solet, vires potissimum voluntatis alienatas videmus; quae quum praecipue in cerebro, in cerebello substantiaque cinerea resideant, his partibus choreae causam quaerere licet, quanquam cultro anatomico non semper monstrari possit. Aliter sentit Marshall, qui demonstrare studeat, non voluntatem mutatis organis suis, sed ipsam medullam spinalem laborare; namque voluntate recte etiam moderante, harmonia autem inter

VIRO ILLUSTRISSIMO

# FRIDERICO NASSE

MEDICINAE, CHIRURGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI, REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORI PUBL. ORDIN., DIRECTORI CLINICI MEDICI BONNENSIS, SOCIETAT. LIT. COMPLUR. SOCALI, EQUITI ETC.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO SUMMEQUE VENERANDO

PIO GRATISSIMOQUE ANIMO

HASCE STUDIORUM MEDICORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

ipsam medullamque spinalem sublata, vim morbidam medullae sequi necesse esse. Opinatur igitur Marshall Hall esse morbum organi, quod commotionibus animi inservit minime pendentem tum ex cerebro tum ex systemate gangliorum et hanc sententiam eo probari censet, quod in dormientibus non somnus efficiat cessationem motuum, sed tranquillitas animi, quum somniis motus resuscitentur.

Altera igitur ex sententia causa principalis quaerenda esset in cerebro, ex altera in medulla oblongata. Sed ex opinione posteriore minime patet, quare aegroti finitis accessionibus, qua in conditione fuerint, nesciant et dormiisse se credant. Priori opinioni obiectari potest, unde spasmi exoriantur, cum irritatione et laesione cerebri solius nunquam moveantur? At spasmi explicantur ita, ut aut cerebrum premat medullam spinalem, aut primaria irritatio cerebri propagetur in medullam spinalem motusque excitet.

Cum ex iis, quae diximus, pateat, laesionibus vel irritatione encephali nunquam convulsionem, sed paralysin vel delirium nasci, causa motus convulsivi in casibus nostris ad medullam spinalem iure referre possumus, praesertim cum symptomata affecti encephali non manifestentur. Quanquam igitur conditione cerebri supra memorata convulsiones possunt exoriri, medulla nihilominus spinalis focus spasmorum iudicari licet.

## §. IX.

## Prognosis.

Uterque morbus nonnunquam sponte desinit sine ullo medicaminum usu, rarius motus convulsi voluntarii,

saepius chorea. In posteriore praeterea voluntas magis valet in medelam, quam in motu convulsivo. Uterque morbus diu saepe tenet ac postremo transit in epilepsiam, quin etiam morte finiri potest, quod in chorea saepius accidere solet. Aegroto sanato magna tamen dispositio manet ad recidendum quod facile imprimis in chorea evenire potest. Praeterea ad prognostn accuratam faciendam haec maxime consideranda subveniunt.

1) Utrum causae occasionales removeri queant, nec ne.

2) An habitus aegroti magis minusve ad morbum propendeat.

3) An complicatio adsit, necne.

4) An complicatio ad morbum ipsum pertineat, necne.

5) An complicatio sanari aut diminui possit necne.

## §. IX.

## Cura.

Chorea et involuntarii musculorum motus cum multa in cura communia habeant curaque motuum convulsivorum facillime ex cura choreae possit deduci, hoc loco ea propone resatis erit, quae ad curandam maxime choream faciant.

Atque multae sunt variaeque complicationes choreae, quae partim morbum vehementiorem reddunt, partim ad eum neutiquam pertinent. Prima earum complicationum species sicuti causae adspici debent et ita sunt tractandae. Altera vero species aut in Chorea Sti Viti curanda negligi aut, si nihil obstat, simul cum ea debellari potest. Quae autem complicationum cura sit, pendet solum ab earum natura.

Si morbus ex irritamento originem duxit et nondum cum sensibilitate adaucta complicatus est, tum sufficit ad eum sanandum irritamentum removere. Quam ad rem firmandam multa exempla extant, verbi gratia: ille infans, de quo, Whyttius scribit, saburris intestinorum liberatus statim valetudinem recuperavit. Si vero quidem morbus ex irritamento sed, cum sensibilitate adaucta coniunctus est, aut si morbus solum ex sensibilitate adaucta, remedia a multis specifica dicta, quae eam conditionem morbosam profligare possunt, indicata sunt.

Multa autem variaque sunt medicamina, quae hic ab scriptoribus laudantur, quorum praestantissima enumerabo.

1) Flores Zinci. Id remedium a pristinis temporibus usque ad hoc fere optimum existimabatur, et in iis aegrotis maxime commendatur, qui vermibus laborant et aetatem iuvenilem tenent. Doses gr. $\frac{1}{2}$—1—1$\frac{1}{2}$ morbum plerumque devincere possunt, sed casus extant, in quibus scrup. $\frac{1}{2}$ praescribi debuit.

2) Zinci sulphurici gr. III mane et vespere adhibita morbum sanarunt.

3) Cuprum sulphurico-ammoniatum. Multi sunt, qui hoc medicamentum summa cum lauda in Chorea curanda commendant, sed in iis casibus modo, in quibus digestio adhuc integra, gr. $\frac{1}{4}$—$\frac{1}{2}$—1 p. d. sunt praescribenda.

4) Argentum nitricum fusum sive lapis infernalis a Franclynio, Pruceo aliisque prosperrimo eventu adhibitum est. Pitschaftius id optimum remedium contra choream esse putat, sed antea aegrotum laxandum praescribit.

5) Liquor arsenicalis a Iahnio iis aegrotis datus est, qui typum intermittentem servabant. Venusius de-

clarat, arsenicum saepissime salutem ferre, ubi alia remedia frustra dentur. Gregorius et Martinius gutt. V ter per diem sufficere scripserunt.

6) Liquor ammonii succinici interdum valetudinem restituit.

7) Viscum quercinum iam pristinis temporibus contra omnes spasmorum convulsionumque species maxime laudatur et in chorea etiam summo eventu datum est. Pulvis eius gr. X—XV—XX—XXV—XXX p. d. Saepius optime respondit.

7[1]) Valeriana officinalis est medicamen in morbis spasmodicis summa laude dignum. Radix pulv. ad scrup. I—½ dr. I. cum gutt. I—II Olei aetherei Valerianae mixta et quinquies per diem propinata, insignem attulit fructum.

8) Herba Chenopodii ambrosioidis saepius propinata est optimo eventu.

9) Castoreum plurimi auctores remedium maxime salutare praedicant. Secundum Hufelandium hoc remedium in clysmate cum Spiritu vini et infuso flor. Chamomillae salutem tulit

10) Moschum ad gr. I. cum sacchari gr. X. omni bihorio exhibitum Frankius fere optimum remedium est expertus.

11) Asa foetida est maxime laudanda et optime respondet Choreae, quae cum vermibus, hysteria, hypochondria coniuncta est.

12) Camphora saepissime vim valde efficacem ostendit, et praesertim in iis aegrotis, quorum cutis sicca et aspera, et genitalia masturbatione vexantur. Desperrieresius etiam balneis tepidis Camphorae dr. IV. in Spiritu Vini solutas cum bono eventu admiscuit, alioque

in exemplo duas puellas Chorea subactas clysmatibus sanavit, e dr. I in ovi albumine soluta paratis. Bouteilleus autem saepius malum, rarius bonum his alvi ductionibus statum animadvertit.

13) Narcotica et praesertim Hyoscyamus, Belladonna, Stramonium et opium in pluribus casibus maximum praebuere proventum. Sed inter ea Hyoscyamus maxime laudatur, quod nec congestiones ad caput nec alvi obstructiones secum gerit, nec infantibus curandis detrimentum facile afferre solet.

## Remedia externa.

Remedia externa minime sunt negligenda, etsi remedia interna et tam copiosa et tam efficacia in chorea sananda praesto sunt. Siquidem saepius sola ad superandum morbum sufficiunt, ubi internorum usus causis quibusdam impeditur.

Balnea tepida et naturalia et artificialia, praesertim ubi cutis simul peccat, saepissime salutem attulerunt. Inter balnea naturalia maxime balneum Emsense, Dryburgense, Pyrmontense et Wiesbadense laudem sibi pepererunt. Balnea frigida suadent Cullen, Iahn et imprimis Dupuytren multique alii.

Pallas abstractionem electricitatis multum commendat.

Frictiones cutis et siccae pannis laneis fumo specierum ad suffiendum impraegnatis et humidae ex spiritu unguentis linimentisque nervinis iuvant. Hic laudantur mixtura oleoso-balsamica, sapo terebinthinatus, spiritus Serpilli, Rorismarini, Angelicae compositus, formicarum,

mastichis, lavandulae, camphoratus, aqua aromatica et cetera.

De Haen primus extitit, qui in chorea sananda electricitatem commendavit. Hunc secuti sunt Fothergill et alii, qui electricitatem optimum remedium praedicant.

Magnetismus animalis et musica quoque in plurimis exemplis remedium saluberrimum se praebuerunt. Quaecunque remedia et interna et externa adhibeantur, imprimis semel diaeta idonea servetur. Cibi, qui facile concoquuntur, satis corpus nutriunt, neque nimis excitant neque nimis languescunt, modice et ordine quodam servato praescribantur; aeger commoretur in aëre puro, salubri; dormiat in loco obnoxiis libero; somnus non interpelletur; corpus vestiatur vestimentis satis calefacientibus; quibuscum aegro consuetudo est, studere debent, ut eius animus quietus hilarisque sit et ne is commoveatur; corpus animusque talibus negotiis exerceantur, qualia haud nimis defatigent.

In convalescentibus vero curandis ea, quae de diaeta iam dixi, omnino sufficere puto.

# Vita.

Ego Iacobus Hubert natus sum Neocastri die 27. mens April anni 1820 patre Nicolas Hubert, matre Anna, egente Vallentin, quibus adhuc superstitibus valde laetor. Primis literarum elementis imbutus per septem annos continuos Gymnasium Trevirense frequentavi, quod auspiciis cll. Wittenbachii et Loersii florebat. Testimonio maturitatis munitus hanc almam literarum sedem petii, artis medicae studio operam daturus. Civium academicorum numero ab ill. G. Bischof t. t. Rectore Magnifico adscriptus, nomen dedi apud ill. Harless t. t. gratiosi ordinis medicorum Decanum spectatissimum. Ubi cum annum medicinae studiis operam dedissem, universitatem Ruperto - Carolinam petii ibique per anni spatium commoratus sum. Deinde Bonnam iterum redii et per tres annos, interjecto anno et dimidio, quo tempore Neocastri sanitatis restituendae causa remansi et uno studiorum corriculo, quo Herbipolensi studiis incubui, sum commoratus.

Professores, quorum et praelectionibus et exercitationibus practicis interfui hi sunt: Cl. cl. Weber, Mayer, Plücker, van Calcer, Harless, G. Bischof, Treviranus, Goldfuss, Noeggerath, Tiedmann, Puchelt, Posselt, Bischoff, Nasse, Kilian, Wutzer, E. Bischoff, Schaffhausen, Brach, Naumann, Hoppe, a Marcus, Muenz, Textor.

Quibus viris omnibus summopere de me meritis pio gratoque animo debitas habeo gratias semperque habebo.

# VITA.

Ego Iacobus Hubertinatus sum Neomagi die 27. mens Aprilis anni 1830 patre Nicolao Hubert, matre Anna, e gente Valentin, quibus adhuc superstitibus valde laetor. Primis literarum elementis imbutus per septem annos continuos Gymnasium Trevirense frequentavi, quod auspiciis Ill. Wittenbach et Loerss floruit. Testimonio maturitatis munitus hanc almam literarum sedem petii, artis medicae studio operam daturus. Civium academicorum numero ab Ill. G. Bischof t. t. Rectore Magnifico adscriptus, nomen dedi apud Ill. Harless t. t. gratiosi ordinis medicorum Decanum spectatissimum. Tum vero antequam medicinae studiis operam dederam, universitatem Ruperto-Carolinam petii ibique per unum spatium commoratus sum. Deinde Bonnam iterum redii et per tres annos, interjecto anno et dimidio, quo tempore Neomagi sanitatis restituendae causa commorabar et uno studiorum certamine, quo Herbipolensi studia medica, sum commoratus.

Professores, quorum in praelectionibus et exercitationibus practicis interfui hi sunt: Ill. Weber, Mayer, Plücker, van Calker, Harless, G. Bischof, Treviranus, Goldfuss, Noeggerath, Tiedmann, Puchelt, Posselt, Bischoff, Nasse, Killian, Wutzer, K. Bischoff, Schaaffhausen, Bruch, Naumann, Hoppe, a Marcus, Mayer, Textor.

Quibus viris omnibus summopere de me meritis pio gratoque animo debitas habeo gratias semperque habebo.

# Theses.

1. *Iurisconsulto inter sectiones forenses carere possumus.*
2. *Arteriotomia nunquam est adhibenda.*
3. *Maioris momenti matris vita quam foetus.*
4. *In plurimis virginum morbis nuptiae praevalent medicamentis.*
5. *Mercurius ex remediis ad syphilidem sanandam non est reiiciendus.*
6. *Bubo venereus primarius non existit.*
7. *Medicinae popularis scripta non prosunt, sed nocent.*